1825

Theolog. polit.

# SYNODUS PROVINCIALIS,

Sub

*Illustrissimo & Reverendissimo Domino*

# D. JOANNE WĘZYK,

DEI & Apostolicæ Sedis Gratia,

ARCHIEPISCOPO GNESNENSI,

Legato Nato, Regni Poloniæ Primate, &

Primo PRINCIPE,

VARSAVIÆ.

*Anno Domini, Millesimo, Sexcentesimo, Trigesimo Quarto, Die decimâtertiâ, Mensis Novembris*

Celebrata.

CRACOVIÆ.

*In Officina Andreæ Petricovij, S. R. M. Typographi*

*Anno Domini, M.DC.XXXVI.*

# VRBANVS PP. VIII.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

MIlitantis Ecclesiæ regimini, nullis licet noſtris ſuffragantibus meritis, Divinâ diſpenſatione præpoſiti, ex injuncti Nobis muneris debito, felici, proſperoq; Eccleſiarum quarumlibet ſtatui, & directioni, ſedulò intendimus, atq; hæc, quæ propterea, præſertim per earundem Eccleſiarum Præſules, piè, & providè facta fuiſſe comperimus, ut firma perpetuò ſubſiſtant, inviolateq; obſerventur, Apoſtolicæ noſtræ Confirmationis munimine roboramus; prout ad Divini cultûs, & Catholicæ Religionis incrementum, animarumquè Chriſti fidelium ſalutem conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Cùm itaq; ſicut ex literis Venerabilis Fratris JOANNIS, Archiepiſcopi Gneſnenſis per dilectum filium Stanislaum Zychowicz, J. U. D. Archidiaconum Caliſſienſem, & Præpoſitum Ravenſem, Oppidorum, ſeu locorum dictæ Gneſnen: ſeu alterius Diœc: à Clero Regni Poloniæ ad Nos pro præſenti confirmatione obtinenda miſſum, accepimus, ipſe Anno proximè præterito, M.DC.XXXIV. Synodum Provincialem celebraverit, in ipſaq; Synodo nonnulla Decreta, quæ à Venerabilibus Fratribus Noſtris, S. R. E. Cardinalibus, Sacri Concilii Tridentini Interpretibus, juſſu Noſtro accuratè perlecta, & recognita, ac ubi opus fuit emendata ſunt, condita fuerint: Nos egregiam ipſius JOANNIS Archiepiſcopi, & Venerabilium

Fra-

Fratrum Epiſcoporom Comprovincialium ſuorum pietatem, & Catholicæ Religionis zelum, ac in Nos, & hanc Sanctam Sedem, devotionem ſummoperè commendantes, & communi in illa Provincia eorum Decretorum obſervationi, quantum cum Domino poſſumus, conſulere volentes: Synodi præfatæ, quam eidem JOANNI remittimus, Statuta, ſic ut præfertur, recognita, & emendata ab omnibus & ſingulis perſonis Eccleſiaſticis, tàm Sæcularibus, quàm cujusvis Ordinis Regularibus, ac aliis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, ad quos quomodolibet ſpectat, inviolabiliter obſervari præcipimus & mandamus. Declarantes, ut quæ obtinenda ſunt à Nobis, pro non appoſitis, & ab eisdẽ Cardinalibus non approbatis, habeantur, nulliusq; effectus & roboris exiſtant, niſi & donec cum effectu à Nobis obtineantur: eundem verò JOANNEM Archiepiſcopum, & Epiſcopos Comprovinciales ſuos præfatos hortamur in Domino, & attentè monemus, ut Decreta præfata, juxta eorum formam & tenorem, in ſuis Diœceſibus publicent, & illa publicari, atq; ab omnibus & ſingulis dictæ Provinciæ perſonis, Sæcularibus & Regularibus, aliisq; præfatis, in omnibus, & per omnia integrè, ac ſub ſententiis, cenſuris, & pœnis in eis forſan contentis, recipi, admitti, obſervari præſtari, & debitæ executioni demandari faciant. Decernentes neminem ab eorum obſervatione, quovis prætextu & cauſa ſe excuſare debere: ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquàm quavis authoritate, ſcienter, vel

ignoranter contigerit attentari. In contrarium facientibus, non obstantibus quibuscunq;. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, Die XX. Septembris, M.DC.XXX.V. Pontificatus Nostri Anno Decimôtertiô.

*M. A. Maraldus.*

*Literæ Eminentißimi Cardinalis Verospii.*

PErillustris ac Reverendissime Domine, uti Frater, Provincialem Synodum ab Amplitudine Vestra, cum Comprovincialibus Episcopis, ac de eorum consilio & assensu, novissimè celebratam, & Constitutiones in ipsa Synodo conditas, & ad Sanctissimum Dominum Nostrum missas, Eminentissimi Cardinales Decretis Sacri Concilii Trident: interpretandis præfecti, ex munere injuncto, & speciali suæ Sanctitatis jussu, diligenter recognoverunt, atq; aliquibus emendatis, Amplitud: Vestræ, & DD. Episcoporum, qui interfuerunt, pietatem, religionem, devotamq; in Sanctam Sedem Apostolicam observantiam, maximè laudantes, approbarunt. Nunc verò eandem Synodum, & Constitutiones ita approbatas, & emendatas, R.D. Stanislao Zychowicz, Calissiensi Archidiacono, qui eas exhibuit, ad Amplitudinem Vestram perferendas damus, ut eo modo, quo tàm Synodum, quàm ipsas Constitutiones receperit, pro istorum populorum salute, & Ecclesiasticæ disciplinæ conservatione, in sua Ecclesia, totaq; Provincia, omninò observandas curet; ut eximiæ suæ, & Suffraganeorum industriæ, piiq; laboris fructus, quos sibi initiò proposuerunt, Deo auctore percipiat. Quod ut cumulatè fiat, Divinam Clementiam enixè rogamus, ut Amplitudinem Vestram diu incolumem servare, suæq; gratiæ donis magis quotidie roborare dignetur. Romæ Die 20. Octobris 1635.

Amplit: V. Perillustris ac Rñdmæ
uti Fr: studiosissimus
*Frt Cardinalis Verospius.*
F. Paulucius S.C.C. Secret:

*à tergo*

Perilluſtri ac Reverendiſſ: Domino, D. Fratri Archiepiſcopo Gneſnenſi.

*PRo debito ergo officii noſtri hortamur, non ſolùm Primatiali & Metropolitanâ, ſed etiam Apoſtolicâ authoritate, omnes & ſingulos Regni Poloniæ, & Magni Ducatûs Lithvaniæ, cujuscunq; ſtatus & dignitatis, Nobis ſubjectos, ut ejusdem Synodi Conſtitutiones, & Decreta, promptô animô ſuſcipiant. Illuſtriſſimos quoq; Dominos Epiſcopos fraternè requirimus, ut eas in ſuis Diœceſibus publicari, & ab omnibus quàm diligentiſſimè obſervari curent, pro ſuo Paſtorali Officio, & Provinciæ Noſtræ utilitate. Et quoniam Brevia certa, Eccleſias, Statumq; & Ordinem noſtrum concernen: è Romana Curia ſunt Nobis præſentata, ea ad calcem præſentis Synodi adjungi mandavimus. Datum Lovicii, Die XXVI. Menſis Martii. Annô Domini, Milleſimô, Sexcenteſimô, Trigeſimô Sextô.*

ACTA

# ACTA
&
# CONSTITUTIONES
## Synodi Provincialis
# GNESNENSIS,

*In Ecclesia Collegiata S. Joannis Baptistæ, Varsaviæ, die Lunæ, XIII. Mensis Novembris, & duobus sequentibus, Anno M.DC.XXXIV.*

## Celebratæ.

# PRÆSIDENTE.

ILlustrissimo & Reverendissimo D. D. JOANNE WEZYK, DEI & Apostolicæ Sedis Gratia Archiepiscopo Gnesnensi, Legato Nato Regni Poloniæ Primate, Primoq; Principe. Præsentibus ibidem Illustrissimis DD. STANISLAO GROCHOWSKI, Archiepiscopo Leopoliensi, MATHIA ŁUBIENSKI, Vladislaviensi, & Pomeraniæ, STANISLAO ŁUBIENSKI Plocensi, PAULO PIASECKI Camenecensi, Episcopis: JOSEPHO VILHELMO RUDZKI, Ritus Græci Episcopo, sive Metropolita Kijoviensi. Illustribus quoq; & Adm: Reveren: DD. Simone Koludzki, Cancellario Gneln: Custode Płocen: Crac: Vladislav: Canonico, S.R.M. Secretario, pro Serenissimo Principe Poloniæ, & Sveciæ, Joanne Alberto S.R.E. Cardinali, Episcopatùs Cracoviensis Administratore perpetuo. Alberto Zabinski Cantore Vilnensi, pro suo Illustrissimo D. Abrahamo Woyna Episcopo, ac pro Venerabili Capitulo. Stanislao Loza Episcopo Argiven: Suffraganeo, Decano, Vicario in Spiritualibus & Officiali Generali Luceorien: pro Illustrissimo D. Episcopo Boguslao Boxa Radoszowski, ac suo Venerabili Capitulo, Joanne Grabowiecki Canonico Posnaniensi, & Præposito Sochaczoviensi, pro Illustriss: D. Henrico Firley, Episcopo Præmysliensi, Georgio Alexandro Dorpowski, J.U.D. Cano-

nico

nico Culmensi, pro Illustriss: D. Episcopo Jacobo Zadzik, Regni Cancellario, ac suo Venerabili Capitulo. Mathæo Babinowski, J.U.D. Canonico Samogitiæ, pro Illustriss: D. Episcopo Georgio Tyszkiewicz, ac suo Venerabili Capitulo. Joanne Sasin, Canonico & Officiali Chelmensi, pro Illustriss: D. Episcopo, Remigio Koniecpolski, ac suo Venerabili Capitulo, Nuntiis. Necnon Ecclesiarum Metropolitanæ, & Cathedralium, Procuratoribus & Mandatariis, Joanne Krzeczewski Archidiacono Gnesnensi, Lanciciensi, & Stanislao Sławinski Gnesnensi, Posnaniensi, Lanciciensiq; Canonicis: Stanislao Stamierowski Decano Leopoliensi, Joanne Foxio J.U.D. Archidiacono, Laurentio Starczewski Custode Cracoviensi, Christophoro Charbicki Præposito, & Paulo Piasecki Archidiacono Vladislaviensi, Rñdmo D. Joanne Baykowski, Episcopo Ennen: Suffraganeoq; ac Sede vacante Administratore Episcopatûs Posnaniensis, & Joanne Branecki Archidiacono Pczoviensi, Magno Niowski Cantore & Officiali Præmysliensi, pro suis Capitulis. Reverendissimis quoq; DD. Abbatibus, & Præpositis, Joanne Madalinski Lendensi, Joanne Grabinski Olivensi, Leonardo Rebowski Peplinen: Thobia Małachowski, Paradisiensi, Abbatibus. Chrysostomo Gorazdowski Jezovien: Samuele Sierakowski Strzelnensi, Alberto Słupski Płocensi, Præpositis: aliis demiq; plurimis Sæcularibus & Regularibus Clericis.

## *De Doctrina Christiana.*
## CAPUT I.

CUm ex præscripto Sacrorum Canonum, & præcipuè Sacrosancti Concilii Tridentini, omnes Synodi Provinciales à professione Fidei Catholicæ, sine qua impossibille est placere DEO, inchoari debeant, & soleant: Idcirco hortatur Synodus omnes Illustrissimos Dominos Episcopos, ut Synodorum, ac præsertim postremæ, sub Tit: *De Professione Fidei, & Doctrina Christiana*, Decretum in viridi observantia conservent, & per Parochos omninò ad executionem, non solùm in Villis, sed etiam in Oppidis deduci curent; cùm id sit ad rudiores

in Fide

in Fide instituendos necessarium, & necessitate medii ad salutem, & præcepti: ad quem effectum petetur Confraternitas à Sancta Sede Apostolica, & ejus exemplum ex Italia afferri curabitur. Edictum quoq; contra Biblia Gedani Lingvâ Polonicâ impressa, à Sede Apostolica, probatum, in omnibus Diœcesibus publicetur, & ad executionem deducatur. Cujus exemplum hic inserere Synodo placuit, tenoris talis.

*Edictum, prohibens lectionem Bibliorum, Gedani nuper impressorum.*

JOANNES WĘZYK, DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ, Archiepiscopus Gnesnensis, Legatus Natus, Regni Poloniæ Primas, & Primus Princeps.

*Clero, populoq; Diæcesis & Provinciæ nostræ, Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithvaniæ, salutem in Domino sempiternam.*

SAlvator & DEUS Noster Christus JESUS, fundans, & constituens Ecclesiam suam, cum qua usq; ad consummationem sæculi se futurũ promisit, præter Sacramenta novæ legis, & gubernationem Spiritus Sancti, per Principem Apostolorum Petrum (pro cujus fide, ut non deficeret, oravit) & illius Successores, Sacram quoq; Scripturam Novi & Veteris Testamenti, tanquam Doctrinæ Cœlestis fontem, & Cœleste depositum, custodiendum, servandumq; in ea reliquit. Cujus quidem Cœlestis Depositi, tanta semper in Ecclesia Catholica fuit majestas, & reverentia, ut illius custodia nonnisi ad Episcopos, tanquã ad Apostolorum successores, & Ecclesiæ Pastores pertinuerit; neminiq; præter Ecclesiæ Romanæ authoritatem, licuerit Sacram Scripturam interpretari, vel ex uno sermone in alium, transferre. Si enim in Veteri Testamento Ozias Rex leprâ à DEO percussus fuit, quod thuris adolendi ministerium sibi usurpâsset; eidemq; Azarias Sacerdos unà cum 80. Viris fortissimis in faciem restitit, dixitq; : *Non est tui officii Ozia, ut adoleas incensum, sed Sacerdotum hoc est filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad hujusmodi ministerium:* multò magis in Novo Testamento, in quo Salvator Apostolis suis, & eorum Successoribus, Evangelium prædicare, & docere omnes gentes mandavit, illisq;

solis

solis nosse mysteria Regni, cæteris verò in parabolis concessit; Scripturæ Sacræ custodia, & interpretatio, ad Ecclesiam, ejusq; Pastores & Episcopos, ex ipsa Christi institutione, Apostolorumque doctrina & traditione, pertinere dignoscitur; ut meritò Paulus Apostolus Doctor Gentium, Thimotheum Episcopum, & in ipso omnium gentium futuros Episcopos monuerit, ut Depositum, Sacram nimirum Scripturam, custodiat; devitans prophanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ. Cùmq; lex depositi sit, ut idem numero reddatur; ut si aurum accepisti, aurum reddas, ne plumbum, ne æramenta supponas: providendum est Episcopis, ut sacrum hoc depositum Scripturæ Sacræ, & Legis Divinæ, argentum & aurum igne examinatum, imò super aurum & lapidem pretiosum multum, pretiosius, illibatum custodiant, servent, & præstent: exemploq; S. Basilii Episcopi, qui Præfecto Valentis Imperatoris Arriani, sibi svadenti, ut Imperatori in nonnullis cederet, respondit; ipsi quoq; pari libertate & animo, ijs qui Scripturæ interpretandi potestatem sibi arrogant, respondeant: *Qui Divinis sunt enutriti eloquiis, corrumpi de Divinis dogmatibus nec ullam syllabam patiuntur: sed pro ijs, si ita oporteat, omnes mortis species amplectuntur.* Intellexit nimirum dudum humani generis hostis nullâ re faciliùs depravatione Scripturæ Sacræ, Hæresumq; incrementa se consequi posse, quàm si libertatem induceret cuivis ex suo sensu Sacram Scripturam, vel interpretandi, vel in alienam linguam sermonemvè transferendi: ac propterea à secunda ferè ætate Ecclesiæ, Anno nimirum Centesimo Vigesimo quinto, post Ascensionem Christi in Cœlum, Aquilam virum excelso ingenio, ac propterea elato animo, excitaverat, qui Bibliorum ex Hebræo in Græcam linguam translationem, (quam Septuaginta Interpretum vocant,) Annis fermè Trecentis ante natum Salvatorem factam, animadvertens eam Christum verum Messiam Patribus promissum confirmare, in dubium vocaret: cujus perversum exemplum, cùm postea consequentibus temporibus plures secuti fuissent, passimq; omnes licere sibi existimarent ex proprio sensu Scripturam

Sacram ex una lingua in aliam transferre, eoq; jam ventum esset, ut in re tam sacrâ & certâ, nulla penè esset certitudo, gravissima sacrorum Canonum, & Oecumenicorum Conciliorum, ac postremo Sacri Concilii Tridentini, cui etiam Regni nostri Oratores interfuerunt, authoritate provisum fuit, Veterem & vulgatam, ac à tot sæculis in Ecclesia receptam, & approbatam, Bibliorum ex Hebræa & Græca in Latinam linguam translationem, præ cæteris pro Sacra & Canonica habendam, & recipiendam: eamq; in rem contra Typographos, qui sine licentia Superiorum Ecclesiasticorum Scripturæ Sacræ libros imprimere, aut venales habere auderent, pæna anathematis & pecuniæ, dudum in Concilio Lateranensi statuta, renovata fuit. Quæ cùm ita se habeant, miramur sanè, & graviter dolemus, Biblia Sacra, sine licentia, & approbatione S. Sedis Apostolicæ, in linguam Polonicam versa, Gedani Anno 1633. in Officina Andreæ Hunefeldi impressa, palam circumferri. In quorum versione, & libri aliquot Sacræ Scripturæ ex industria sunt omissi, illi præsertim, ex quibus adversa Orthodoxæ fidei doctrina convellitur; atq; ipsa translatio Polonici idiomatis, cum vulgatâ Latinâ collata, multis in locis depravata cernitur, ut ex collatione Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ lectionis, piorum & doctorum Virorum, quibus id negotii dederamus, factâ, deprehensum fuit, ut iterum mirari satis & dolere non possimus Superattendentes, ut se nominant, Evangelicorum in Majori Polonia, eò superbiæ & audaciæ progressos, ut veteris & vulgatæ Latinæ Bibliorum translationis sibi censuram assumere ausi fuerint, vel certè plus sapere, meliùs linguam Hebræam & Græcam scire, vetustiores & meliores Bibliorum Hebræos & Græcos Codices habere, quàm SS. Patres, qui tot sæculis præcesserunt, quàm Luminaria Ecclesiæ, Hieronymus, Augustinus, Gregorius, & alii, vel dictas linguas scire, vel certiores Codices Bibliorum habere potuerunt, supraq; ipsam Ecclesiam, cujus tanta fuit apud S. Augustinum fides, ut Evangelio non crederet, nisi eum Ecclesiæ commoveret authoritas, sapere, & intelligere præsumant. Qui sanè

quod

quod in subsidium sui erroris vel arrogantiæ sumunt, se non novam, sed veterem, ut asserunt Brestensem Bibliorum editionem, & translationẽ iterum edidisse, & recudisse: scire, & meminisse deberent, Brestensia illa Biblia, & à laudatissimis illius temporis Decessoribus nostris Archiepiscopis, & Episcopis Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Lithvaniæ, damnata & reprobata fuisse, & Serenissimo magnæ memoriæ Regi SIGISMUNDO AUGUSTO, cui inscio dedicabantur, vel potiùs obtrudebantur, ita displicuisse, ut etiam Diplomate suo, Anno 1565. 8. Octobris, Vilnæ dato, summo affectu professus fuerit, se ad defendendam contra Hæreses Religionem Catholicam, Religiosum Ordinem Patrum Societatis Jesu in Regnum Poloniæ recepisse. Quorum postea operâ curaq; contra hæc Brestensia Biblia, edita fuêre authoritate Illustrissimi laudatissimæ memoriæ Stanislai Karnkowski, Decessoris nostri, Biblia ex vulgatâ Latinâ translatione in Polonicam linguam translata, bonæ memoriæ Jacobi Wuiek ejusdem Societatis Theologi vocata. Neq; est quod superattendentes Evangelicorum, vel quisquis ille sit, authoritatem aliquam Bibliis Gedanensibus additam existimet, quòd dedicata sint S.R.M. Domino Nostro Clementissimo; cùm sua Majestas primùm quidem Illustrissimo D. Episcopo Vilnensi cùm is pro sua Pastorali sollicitudine & vigilantiâ, de eorundem Bibliorum dedicatione suæ Majestati significâsset, deinde verò mihi quoq; palam, & disertis verbis rescripserit, diserteq; pro Catholici Principis officio professus fuerit, eam Bibliorum dedicationem se inscio contigisse; ac propterea nihil inde authoritatis iisdem Bibliis accedere posse: Scire se, & profiteri, censuram & editionem Bibliorum, solius Ecclesiæ Romanæ esse potestatis; se in Ecclesia Catholica natum, in eadem quoq; & vivere, & mori velle. Quocirca laudatissimis Majorum, & decessorum nostrorum Episcoporum Regni, & Magni Ducatus Lithvaniæ vestigiis insistendo, qui olim regnante Serenissimo SIGISMUNDO AUGUSTO, magnæ memoriæ Rege, Brestensium Bibliorum editionem & translationem damnârunt, & anathematizârunt; Nos quoque,

maturo ea de re habito cum Illustriss: DD. & Fratribus observandiss: Archiepiscopo Leopoliensi & Episcopis Regni & Magni Ducatûs Lithvaniæ ac multorum virorum doctorum, & piorum consilio, de eorum quoq; assensu, pro debito Pastoralis Officii nostri providentes, ne ea, quæ sacris Canonibus, & Fidei Catholicæ adversantur, silentio approbare, vel ad ea connivere, occasionemq; errandi ovibus nostris præbere videamur: Authoritate nostrâ Metropolitanâ, & Primatiali, ac á Sacro Concilio Tridentino nobis concessa; in Dei Nomine, omnibus & singulis Christi fidelibus utriusq; sexûs, & cujusvis conditionis Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithvaniæ incolis, & in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub Excommunicationis pœna ipso facto incurrendâ, Sediq; Apostolicæ in Catalogo librorum prohibitorum, & Bulla Cænæ Domini reservatâ, districtè prohibemus, ne librum hunc Bibliorum, Gedani in Officina Andreæ Hunefeldi, vel alibi, lingvâ nostrâ impressum, vel alibi recusum, legere, retinere, vendere, seu cuipiam donare audeant; sed si quis ea habuerit, Parocho, Parochus verò Episcopo suo quamprimùm reddere teneatur. Bibliopolis verò, & Typographis omnibus, sub eadem anathematis, & pecuniæ pœnis, arbitrio Illustrissimorum Episcoporum, quos ut præsentes literas nostras per Parochias publicare sine mora curent, fraternè rogamus, decernendis, mandamus, ne prædicta Biblia, vendere, sive de novo imprimere quovis modo præsumant. Sciantq; Bibliopolæ, & Typographi, se quoad impressionem, venditionem, & invectionem librorum, Illustrissimorum DD. Lociordinariorum Jurisdictioni antiquitus esse subjectos, secundum rescriptum Serenissimi olim SIGISMUNDI AUGUSTI Regis, Constitutionibus Provincialibus *lib: 1.* *insertum* In cujus rei fidem præsentes manu nostra subscriptas, Sigillo quoq; nostro consignari jussimus. Dat: Lovicii, die XXVIII. Mensis Aprilis. M.DC.XXXIV.

*De Missis, in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum.*

## CAPUT II.

QUia teste Scripturâ, sancta & salubris est cogitatio pro de- functis

functis exorare, ut à peccatis solvantur: præsens Synodus supplicandum censet S. Sedi Apostolicæ, ut exemplo Regni Valentiæ, etiam huic nostræ Provinciæ concedere velit, ut die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, tres Missas quilibet Sacerdos, prout in Die Natalis Domini, ad libitum celebrare possit.

*De Ecclesiis prophanatis & desolatis.*

## CAPUT III.

STatuit Synodus, ut Ecclesiæ à quibusvis, præsertim Hæreticis, prophanatæ; quæ, sufficientem provisionem pro sustentatione Parochi non habent, aliis Ecclesiis uniantur, juxta præscriptum Sac: Conc: Trid: *ses: 21. cap: 5.* & populus cum dote Ecclesiæ tantisper viciniori Parocho adjungatur, quoad recuperatæ, & universali Ecclesiæ restitutæ non fuerint. Cæterum sciant Regulares, ipsis non licere sine licentia, & approbatione speciali Ordinariorum, in Ecclesiis vacantibus, & desolatis, respectu Parochorum Sacramenta administrare, aut illius Parochiæ, seu alterius vicinioris, homines, præcipuè tempore Paschatis, Confessiones audire: aliàs contra facientes ad Juris præscriptum punientur: commendatæ verò Ecclesiæ, juxta juris communis, & Sac: Conc: dispositionem concedantur.

*De Processionibus cum Venerabili Sacramento.*

## CAPUT IV.

NE multiplicatio Processionum cum Venerabili Sacramento, loco devotionis, seu majoris Divini cultûs, irreverentiam interdum Divinæ pariat Majestatis: inhibetur omnibus sæcularibus Rectoribus, ne præter Festum Corporis Christi, ejusq; Octavæ dies, quibus processio solennis, modo & ordine in Epistola Pastorali novissimæ Synodi Decretis inserta, juxta consvetudinem locorum, peragi omninò solet; aliis Dominicis, & Festis diebus, etiam in Processionibus Fraternitatum â Loci Ordinario admissarum, audeant Venerabile Sacramentum extra suam Ecclesiam, vel Cemeterium tantùm, processionaliter deferre. Regulares quoq; intelligant, non licere eis, Juribus sic disponentibus, extra sua claustra, & ambitum, seu

Ceme-

Cemeterium, Processiones cum Venerabili Sacramento facere, cùm id Jurisdictionem quandam sapiat; consensum verò Dñi Lociordinarii hac in parte suum, se amplius non daturos, nisi ex justa causa, præsentis Decreti vigore promittunt, & cavet.

*De Ecclesiarum ingressu.*

## CAPUT V.

QUia ad Ecclesiam debet esse humilis & devotus ingressus, tùm ut securitati Ecclesiarum prospiciatur, & occasio tumultuum præcidatur: interdicit Synodus omnibus cujuscunque status & conditionis hominibus, ne unquam Ecclesias cum bombardis, canibus, & avibus venatoriis, ingredi præsumant, sub poena excommunicationis: cujus notam Parochi in Tabella foribus affigant his verbis: *Huc ingredi nemini licet cum bombardis, sclopetis, canibus, & avibus ad vendendum, sub pœna Excommunicationis.*

*De Confraternitatibus.*

## CAPUT VI.

COnfraternitates Rosarii præsertim, cum aliquibus Ecclesiis seu Parochiis conceduntur, non debet eas admittere Parochus, nisi prius specialem, uti Juris & consvetudinis est, admissionem à Lociordinario habeat: sub poena arbitraria in contrafacientes decernenda.

*De Casibus Reservatis.*

## CAPUT VII.

CUm ex præscripto Juris communis, & ex præcedenti Synodo Gembiciana, à Sede Apostolica approbata, nec non ex declarationibus Eminentissimorum Cardinalium Sacri Concilii Tridentini Interpretum, constet, Regulares quantumvis exemptos, privilegiatos, & ad audiendas Confessiones sæcularium approbatos, non posse quempiam absolvere à Casibus Sedi Apostolicæ, & Ordinariis reservatis: ideo Synodus injuriis bonorum Ecclesiasticorum & rapinis obviare volens, notificat inter alios Casus eidem Sedi Apostolicæ reservatos esse; Casus Invasionis bonorum Ecclesiasticorum, & exactionis pecuniarum, taliarum, seu collectarum, vecturarum, & aliarum angariarum,

riarum, seu ut vocant, Stationū in bonis Ecclesiæ; nec non occisionis Clericorum, & Presbyterorum, quorum absolutiones Ordinariis, juxta Bullam sanctæ memoriæ Leonis X. committantur: eisdem verò Ordinariis decernit esse reservatos, sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrenda, casus eorum qui prohibent, vel impediunt Decimas percipi, & qui diripiunt bona mobilia, sive immobilia, post mortem Parochorum, sive Beneficiatorum: Ideòq; inhibetur omnibus Presbyteris Secularibus, & respectivè Regularibus, sub pœna Excommunications, ne in prædictis casibus quempiā absolvere, præterquàm in mortis articulo præsumant, sed ut supra remittant. Regulares autem in hisce casibus, & aliis per Decreta Provincialia Synodalia, à Sede Apostolica confirmata, reservatis, absolventes, quomodocunq; & qualicunq; interpretatione facta, etiamsi lis eo nomine in judicio vertatur, sciant se incursuros pœnam Excommunicationis ipso facto, nisi specialem à Sede Apostolica habeant facultatem: Ideò ne quis ignorantia se excuset, hic inserere placuit textum in Clem: Religiosi. de Privilegiis. *Religiosi, qui Clericis aut Laicis, Sacramentum Unctionis extremæ, vel Eucharistiæ, ministrare, Matrimoniavè solemnizare, non habita super his Parochialis Presbyteri licentia speciali; aut qui excommunicatos â Canone, præterquam in Casibus à Jure expressis, vel per Privilegia Sedis Apostolicæ concessis eisdem, vel à sententiis per Statuta Provincialia aut Synodalia, promulgatis, seu (ut verbis eorum utamur) à pœna & culpa absolvere quemquam præsumpserint, Excommunicationis incurrant sententiam ipso facto, per Sedem Apostolicam duntaxat absolvendi: quos etiam Locorum Ordinarii (postquam de hoc eis constiterit) Excommunicatos faciant publicè denunciari, donec de absolutione ipsorum eis fuerit facta fides, nullo Religiosis eisdem super hoc exemptionis, vel alio Privilegio, suffragante.*

*De Oratione pro Defunctis.*

## CAPUT VIII.

CUm totius Ecclesiæ more fiat vespertina pro fidelibus defunctis Oratio: proinde sicut in Synodo Gembicciana decreta

creta fuit; ita ut in omnibus Ecclesiis hora circiter prima noctis, trino pulsu Campanæ, ad eadem Populus excitetur; præsens præcipit Synodus, conceditq; singulis orantibus Quadraginta dies Indulgentiarum, in forma Juris.

*De Communione, tempore Paschali.*

## C A P U T IX.

CUm tempus Paschale, à Dominica Palmarum, ad Dominicam in Albis, Confessioni, & Communioni fidelium, de Jure præstitutum, huic Regno, ob paucitatem Sacerdotum, & multitudinem hominum, in remotis ab Ecclesiis locis commorantium, angustum esse experientia doceat: Supplicat Synodus Sanctæ Sedi Apostolicæ, ut tanquàm benigna Mater filiorum suorum saluti consulendo, amplius spatium, hoc est à Dominica Passionis, ad Dominicam in Albis inclusivè, ea de causa prorogare velit.

*Ut Synodis, & Comitiis, Episcopi intersint.*

## C A P U T X.

CUm plurimùm intersit Reipublicæ saluti, & Ecclesiæ Juribus conservandis, ut DD. Archiepiscopi, & Episcopi, Synodis Provincialibus, Comitiis Regni, & particularibus, Terrarum Conventibus, in quibus etiam de Juribus, & præjudicio Ecclesiarum & Ecclesiasticorum agitur, præsentes adsint; quod & respectivè antiquis Constitutionibus Provincialibus, *lib:* 5. *cap:* 8. & recentioribus, videlicet Gembiciana, per Sedem Apostolicam confirmatis, cavetur: Ideò pœnam mille marcarum in quemlibet Dominorum Episcoporum, ad præfata loca, & tempora præfixa, venire negligentium, præsens ampliat & innovat Synodus; salvo legitimo impedimento, jurejurando juxta eadem Statuta Provincialia, coram Illustrissimo D. Archiepiscopo, in recenti probando. Pœnæ autem ejusmodi per Illustrissimum D. Archiepiscopum omninò ultra alias Juris pœnas exigantur, & fabricæ Ecclesiæ Metropolitanæ applicentur; in reliquo dispositio Dzierzgovii Archiepiscopi, *lib:* 4. descripta observetur. Quoniam verò Serenissimus Princeps CAROLUS FERDINANDUS, Administrator Episcopatus

ſcopatus Vratiſlavienſis, ad Synodũ præſentẽ invitatus, per ſuas ad Illuſtriſſimum D. Archiepiſcopum literas, abſentiam Capituli, ſui excuſavit, quòd in exilio manens, commodè ad Synodum venire non potuit: Ideò Synodus juſtæ excuſationi locum reliquit; ita tamen, ne abſentia hac vice indulta Eccleſiæ Vratiſlavienſi Metropolitano Gneſnenſi dudum adjunctæ, quidquam deroget: præſertim cùm & ipſe Summus Pontifex modernus, illam Eccleſiam Gneſnen Suffraganeam, in literis ſuis, coram Synodo lectis, agnoſcat, idemq; ipſe Sereniſſimus CAROLUS in ſuis quoq; literis non diffiteatur.

*De Judicibus Tribunalis Regni.*

## CAPUT XI.

CReſcente omnium rerum pretio, æqvum eſt, Judices Tribunalis Regni Ordinis noſtri, ampliori ſtipendio provideri, cujus modum Domini Ordinarii in qualibet Diœceſi inire curabunt; ita tamen, ut omni ex parte ſtipendium ſit moderatum, & omnis avaritiæ labes abſit.

*De Advocatiarum ſummis pecuniariis.*

## CAPUT XII.

UT Sculteriæ, & Advocatiæ, in bonis Eccleſiæ, certis pecuniarum ſummis oneratæ, quàmprimùm liberæ ad Eccleſiam redeant, ſtatuitur; ut in Privilegiis de novo ſuper eas concedendis quarta pars ſummæ principalis detrahatur, ita ut cùm ad quartum poſſeſſorem venerint, ſumma totaliter extincta eſſe cenſeatur; prout etiam in Sculteriis Regalibus Jure Regni obſervatur.

*De Conſervatoribus.*

## CAPUT XIII.

MOnentur Regulares, quorum aliqui juxta Bullam ſanctæ memoriæ Gregorii XV. Conſervatores elegerunt, ut alii idem quamprimùm faciant: alioquin coram Ordinariis locorum, quamdiu non elegerint, reſpondere tenebuntur. Eligantur autem in Conſervatores illi, qui in Synodis Diœceſanis Judices ad audiendas cauſas Apoſtolicas deſignati ſunt.

*De Deputatis ex Capitulis. ad Electiones Abbatum mittendis.*

## C A P U T XIV.

DUdum iu Constitutionibus Provincialibus est decretum, & observatum, ut vacante Abbatia, vel Præpositura, Viri graves de gremio Capituli Ecclesiarum Cathedralium mittantur, qui electioni ex causis ibidem expressis intersint. *Cap: Novit: & Cap: Quanto. De his quæ fiunt à Prælatis.* Idemq; anteà Juris Canonici sanctione firmatum est, ut Abbatum, & Abbatissarũ institutiones & destitutiones, cum consilio Capituli, & non aliarũ personarũ fiant; districtè mandat Synodus id observari: aliter autem factæ electiones, uti Jura disponunt, irritæ sint, & inanes.

*De Abbatiis vacantibus.*

## C A P U T XV.

UT bona Ecclesiastica, post mortem Abbatum, vel Præpositorum, cum suis redditibus & proventibus, integra maneant, ac futuro, prout de Jure, Successori conserventur, nevè à quibusvis diripiantur; statuit Synodus, antiquæ Consvetudini inhæren: ut DD. Locorum Ordinarii post decessum Abbatum, seu Præpositorum, Administratorem ex medio sui Capituli, unà cum Priore Monasterii, constituant, qui indemnitati eorundem bonorum, etiam immobilium, per defunctum relictorum, prospiciant, de hisq; futuro successori, ad instar Sprovianæ Constitutionis, de Sede vacante, in novissima Synodo à Sede Apostolica approbatæ, rationem reddere teneantur, Raptores autem bonorum, reddituum, & rerum à defuncto relictarum, pœnam Excommunicationis ipso facto, contra rapientes bona post mortem intestati Statutis Provincialibus decretam, incursuros decernit. Æqvum etiam censet Synodus, ut in Abbatiis, & Præposituris commendatis, modus procedendi ad instar anni gratiæ, per Bullam Leonis X. concessi, observetur.

*De Taxa Processuum, Tribunalium Episcopalium.*

## C A P U T XVI.

ET si taxa processuum, seu literarum Tribunalis, antiqua *lib: tertia* Constitutionum Provincialium sit expressa; eaq;

Consti-

Constitutione Maciejoviana ad duplum augeri jubeatur? Verumtamen omnium rerum in dies valore excrescente, eam ad triplum Synodus ampliari permittit; ac proinde decernit, ne quis Notariorum amplius exigere præsumat, sub pœna amissionis Officii.

*De Contributione, pro Deputatis Tribunalis Regni, solvenda.*

## CAPUT XVII.

PLurimum interest, & sæculari, & Regulari Clero, ne Judicia Tribunalis Regni, quæ bonorum Ecclesiasticorum, & victualium Cleri ultima sunt præsidia, intermittantur; cum verò ob absentiam, & non plenum in composito Judicio numerum Deputatorum eadem negligi contingat; propterea, quod solitæ pensiones illis non solvantur: Proinde Synodus præcavens indemnitati bonorum Ecclesiasticorum, ac victui pauperum Sacerdotum, qui ob Judicum Deputatorum absentiam, ad septem, vel decem annos, justitiæ administrationem expectare coguntur, decernit, ut DD. Episcopi Abbatias in Commendam habentes, nec non alii Commendatarii, nullis subterfugiis se tueri possint, quominus coram Locorum Ordinariis, vel Judicibus competentibus, ad pensiones ultra quadraginta annos solvi solitas, & consvetas, jure mediante compellantur: alias eorum causæ in Judicio composito Tribunalis Ecclesiastici non judicabuntur.

*De reverentia Divinorum Officiorum.*

## CAPUT XVIII.

INhibet Synodus, ne in Ecclesiis quibuscunq; circa Processiones cum Venerabili Sacramento, aut alias adhibeantur tympana, aut tubarum clangores, qui magis castris, quàm Ecclesiæ devotioni accommodàti videntur: item explosiones tormentorum bellicorum in Festis circa Octavas Festorum, nullo fructu, sed æmulationis causa fieri solitas; excepto tamen Festo Noctis Resurrectionis Dominicæ, juxta laudabilem locorum consvetudinem,

## CAPUT XIX.

SUpplicat Synodus S. Sedi Apostolicæ, ut negotium Canonizationis Beatorum, STANISLAI KOSTKA Societatis Jesu, CUNEGUNDIS, & LADISLAI, Ordinis S. Francisci; necnon JOZAPHAT Episcopi, VINCENTII KADŁUBEK, JOANNIS KANTII, Professoris Academiæ Cracoviensis sua Sanctitas commendatum habeat: ac priusquam solemnitas ea perficiatur Missæ Sacrificium, cum horis Canonicis, præsertim de Beato CANTIO, & KOSTKA, in Ecclesiis Regni celebrari concedat.

*De Decanis Ruralibus.*

## CAPUT XX.

QUia quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet: cùm verò Decani Rurales commune Episcoporum, & Archidiaconorum Officium exerceant; ideò eosdem Decanos ab Episcopis, & Archidiaconis, communiter eligi debere, sicuti juris est, *Cap: ad hæc. in fin: de Offic: Archid:* Synodus declarat.

*De Unione Ruthenorum.*

## CAPUT XXI.

ANtistitum Ritûs Græci, & Sacerdotum in Unione S. Ecclesiæ Romanæ permanentium, negotium in proximis Comitiis Regni tractan; DD. Archiepiscopi, & Episcopi, promittunt, ut ipsorum Juribus omninò consulatur, & securitati prospiciatur.

*De temerè litigantibus.*

## CAPUT XXII.

DEcet ordinem Sacerdotalem, modestiæ & tranquillitatis studium. Monet ergo seriò Synodus personas Ecclesiasticas, ut à litibus multiplicandis sibi temperent, neq; causas, honorem & famam tangentes, cuiquam intentent, sine Episcoporum suorum consilio: cùm id etiam vergat in odium statûs Spiritualis, ac Sacerdotum officio aliquos diffamari minimè conveniat. Contra facientes, arbitrio Superiorum sciant se esse puniendos.

*De Absen-*

*De Absentibus in præsenti Synodo.*

## CAPUT XXIII.

CAutum fuit in proximè præterita Synodo, ut DD. Episcopi, Abbates, & qui interesse Synodo debent, omninò ad Synodum venirent, sub pœnis Juris, irremissibiliter in eos decernendis. Cùm verò ad præsens plures absint Domini Episcopi, & Abbates, qui varias causas absentiæ per suos Nuntios prætendunt, eas diligentiùs Illustrissimus D. Archiepiscopus ut examinet, Synodus decernit; & quorum excusationes minùs legitimas invenerit, pœna pecuniaria, de consilio duorum DD. Episcoporum Seniorum, sibi viciniorum, puniat, pœnamq; solutam de eorundem consilio, fabricæ Metropolitanæ Ecclesiæ, juxta Constitutionem Dzierzgovianam, *Lib: IV.* Constitutionum Provincialium, applicet. Cæterùm exemplo, & consvetudine Sac: Conc: Trident: & aliarum Synodorum Provincialium, cavet Synodus, nemini in voce danda novum jus quæsitum, aut aliquod præjudicium factum esse.

*De Nuntio ad Sanctam Sedem Apostolicam mittendo.*

## CAPUT XXIV.

AD petendam, obtinendamq; à SS. Dno Nostro, præsentis Synodi confirmationem, nonnullasq; alias gratias ejusdem S.D.N. pro usu & necessitate Provinciæ, designatur Admodum R. D. Stanislaus ZYCHOWIC, J.U.D. Archidiaconus Calissiensis, Præpositus Ravensis.

Acta, lecta, publicata, Anno, Die, Mense, ut supra.

*Joannes Wężyk, Archiepiscopus Gnesnensis, m.pp.*
*Stanislaus Grochowski, Archiepiscopus Leopoliensis.*
*Mathias Łubienski, Episcopus Vladislaviensis & Pomer: m.p.*
*Stanislaus Łubienski, Episcopus Płocensis, m.p.*
*Paulus Piasecki, Episcopus Camenecensis, m.p.*

Vencesslaus Ceynarowicz, J.U.D. authoritate Apost: publicus, Actorumq; Curiæ Illustriss: & Rndiss: D. Archiep: Gnesn: suprascripti, ac præsentis Synodi Notarius suprascriptus, m.p.

# Approbatio.

*NOs Fabricius, Tituli Sanctæ Mariæ de Pace, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis Verospius, nomine Sacræ Congregationis Cardinalium, Concilii Tridentini interpretum, fidem facimus, & attestamur, Decreta Synodi Provincialis Gnesnen: hoc libello cartarum decem, quarum prima incipit,* Acta & Constitutiones Synodi Provincialis Gnesnensis; *ultima verò desinit,* Domini Archiepiscopi Gnesnensis suprascripti, ac præsentis Synodi Notarius, &c: *fuisse, ut supra ab eadem Sacra Congregatione Concilii emendata, recognita, atq; approbata; eorundemq; Decretorum Originale, apud eandem Sacram Congregationem remansisse; adjecta tamen declaratione, ut quæ obtinenda sunt à Sanctißimo Domino Nostro, pro non appositis, à Sacra Congregatione, non approbatis habeantur, nulliusq; effectus & roboris existant, nisi & donec cum effectu, à Sua Sanctitate obtineantur. In quorum fidem, his propriâ manu subscripsimus, & ab infrascripto eiusdem Sacræ Congregationis Secretario subscribi, Sigilliq; nostri impreßione muniri mandavimus. Dat: Romæ, die prima Septemb: 1635.*

F. Cardinalis Verospius.

*Locus Sigilli.*

Francisсus Paulucius S.C.C. Secr:

*Seqvuntur Brevia Apostolica, & Decreta, Episcopos, & Clerum Regni Poloniæ, ac Magni Ducatus Lithvaniæ, concernentia.*

# BREVE
## De Reductione Missarum.
## URBANUS PP. VIII.
*Ad futuram rei memoriam.*

CUm sicut accepimus, redditus fundationum, & legatorum antiquorum, Ecclesiis Regni Poloniæ, à diversis personis, cum onere certam Missarum quantitatem celebrandi, seu celebrari faciendi, relictorum, ad præsens oneri hujusmodi adimplendo non sufficiant, eo quòd monetæ valor plurimùm auctus sit, & præterea ob pestem, & alias Regni præfati calamitates, Sacerdotum ejusdem Regni numerus adeò imminutus sit, ut illi qui supersunt, tot Missis celebrandis impares sint: Nos in præmissis, quantum ab alto conceditur. provideri cupientes, Apostolicâ authoritate, tenore præsentium, concedimus; ubi in dicto Regno, post Sacri Concilii Tridentini publicationem, non fuit in aliqua Synodo facta reductio Missarum hujusmodi; ea in prima Synodo; juxta Sacri Concilii Tridentini præfati formam, fieri possit; etiamsi illa non

sit pri-

ſit prima Synodus celebrata poſt ejusdem Sacri Concilii Tridentini publicationem. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuscunq; Teſtatorum, & aliorum voluntatibus, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæterisq; contrariis quibuscunque. Dat: Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, Die XXVI. Novembris. M.DC.XXXIV. Pontificatûs Noſtri Anno Duodecimo.

*M. A. Maraldus.*

# BREVE
## De Communione tempore Paſchali.
## URBANUS PP. VIII.
*Ad futuram rei memoriam.*

EXponi Nobis nuper fecerunt Venerabiles Fratres, Archiepiſcopi, & Epiſcopi Regni Poloniæ, quòd in eodem Regno progreſſu temporis uſus invaluit, ut quilibet, ad id tamen aptus & idoneus, ſingulis annis, ad minùs duodecim dierum ſpàtio, nempè à Feria quinta in Cœna Domini, uſq; ad diem Dominicam in Albis incluſivè, confeſſus, ac Sacra Communione refectus eſſe debeat: cujus quidem temporis brevitas in cauſa fuit, ut ob numeroſum dicti Regni populum, ac Sacerdotum ibidem partim contagio, partim verò aliis infirmitatibus defunctorum defectum, multi præmiſſa, ſpatio duodecim dierum hujuſmodi, peragere non potuerint. Quare dicti Archiepiſcopi,

& Epi-

& Episcopi, Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut super præmissis opportunè providere de benignitate Apostolicâ dignaremur: Nos igitur Christi fidelium ejusdem Regni animarum saluti, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati; eisdem Archiepiscopis, & Episcopis, per præsentes committimus, & mandamus, ut eorum arbitrio, attentâ Sacerdotum penuriâ, hujusmodi Christi fidelibus utriusq; sexûs, dicti Regni, ad id tamen aptis, & idoneis, tempus à Dominica Passionis, usq; ad Hebdomadam post Dominicam in Albis immediatè sequentẽ inclusivè, quo durante, peccata sua confessi, ac Sacra Communione refecti esse debeant, & teneantur, authoritate Nostra, concedant, & respectivè prorogent. Non obstan: præfata consvetudine, cæterisq; contrarium facientibus quibuscunque. Dat: in Arce Gandulphi, Albanen: Dioec: sub Annulo Piscatoris, Die XXVI. Octobris. M.DC.XXXIV. Pontificatus Nostri Anno Duodecimo.

*M. A. Maraldus.*

---

# B R E V E

## De Foro in Criminalibus.

## URBANUS PP. VIII.

*Ad futuram rei memoriam.*

SIngularia, atq; eximia, Charissimi in Christo Filii Nostri, VLADISLAI, Poloniæ & Sveciæ Regis Illu-

ſtris, in Nos, & hanc Sanctam Sedem, fidei & devotionis merita, ac præcipuus, quo eundem VLADISLAUM Regem complectimur, paternæ charitatis affectus, promerentur; ut quæ ad proſperum, felicemq; Chriſti fidelium in Regno Poloniæ exiſtentium ſtatum, & quietem, pertinere dignoſcuntur, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter concedamus. Supplicationibus itaq; dilecti filii Nobilis viri, Georgii Oſſolinſki, Comitis de Tęczyn, ejuſdem VLADISLAI Regis Oratoris, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati: Quòd de cætero in præfato Regno Poloniæ, Cauſæ Criminales in prima inſtantia cognoſcantur ab Ordinariis Locorum; in ſecunda à Metropolitano; in tertia à dilecto filio moderno, & pro tempore exiſtente in dicto Regno Poloniæ Nuntio; in reliquis inſtantiis, etiam reſtitutionis in integrum, & in ſecunda inſtantia, quando Metropolitanus uti Ordinarius in prima inſtantia cognoſcit, committantur Cauſæ appellationum, nullitatum, per ſignaturam Juſtitiæ, infra certum tempus, vel in partibus, alicui ex Epiſcopis, vel Suffraganeis in eodem Regno pro tempore exiſtentibus, quos omnes pro hujuſmodi Cauſis Criminalibus cognoſcendis, & terminandis, habilitamus Apoſtolicâ authoritate; tenore præſentium, concedimus, & indulgemus. Decernentes præſentes literas validas, firmas & efficaces exiſtere, & fore, ſuosq; plenarios & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac omnibus & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviola-

violabiliter obſervari: ſicq́; per quoſcunq́; Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & diffiniri debere; ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquàm, quavis authoritate, ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Non obſtantibus quibusvis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quarumcunq́; Eccleſiarum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis Statutis, & Conſvetudinibus; Privilegiis quoq́; Indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, eorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæterisq́; contrariis quibuscunq́;. Dat: Romæ apud S. Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die V. Januarii. M.DC.XXXIV. Pontificatus Noſtri Anno undecimo.

*M. A. Maraldus.*

---

# B R E V E
## De Decimis.
## URBANUS PP. VIII.
*Ad futuram rei memoriam.*

CUm ſicut dilectus filius, Nobilis Vir Georgius Oſſolinſki, Comes de Tęczyn, Chariſſimi in Chriſto Filii Noſtri VLADISLAI, Poloniæ & Sveciæ Regis Il-

lustris, ad Nos, & Apostolicam Sedem Orator, Nobis nuper exponi fecit, diversæ controversiæ, lites, & differentiæ, inter Ecclesiasticos & Nobiles Regni Poloniæ occasione solutionis decimarum, sæpè oriantur: Nos litibus, differentiis, & controversiis hujusmodi, quantum cum Domino possumus, obviam ire, paciq; & quieti Ecclesiasticorum, & Nobilium præfatorum, consulere volentes, supplicationibus dicti Georgii Comitis, & Oratoris, nomine ejusdem VLADISLAI Regis, Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati; Venerabilibus Fratribus, Archiepiscopis, & Episcopis, dicti Regni Poloniæ, tenore præsentium, committimus, & mandamus ut compositiones per Ecclesiarum Rectores, & Laicos faciendas, super quantitatem Decimarum confirment, vel illas approbent de consensu Rectorum; & ubi non adest illorum consensus, etiamsi agatur de novalibus, Ordinarius assumptis duobus de suo Capitulo, unà cum illis, Causam, & Causas, super compositione facienda cognoscat, ac terminet appellatione remotâ, ubi Decimæ quôlibet annô non excedunt, florenos quinquaginta in valore earum: & quatenus excederent dictum valorem, tunc semel appellare liceat, & Appellatio per Metropolitanum, assumptis pariter duobus de suo Capitulo, cognoscatur, & terminetur. Quatenus verò Metropolitanus esset Ordinarius, tunc appellatio cognoscatur, & terminetur per Nuntium Apostolicum in eodem Regno commorantem; & quatenus primæ instantiæ ab eodem Nuntio co-

tio co-

tio cognoſcerentur, tunc à ſententiis dicti Nuntii appellationes, nullitates, ac in integrum reſtitutiones committantur per eundem Nuntium alteri Epiſcopo ejusdem Regni, qui pariter aſſumptis duobus de ſuo Capitulo, inſimul cognoſcant, & terminent. Quòd ſi contentio erit inter aliquem Epiſcopum, & Nobilem, ſeu Nobiles; tunc Cauſa cognoſcatur per Metropolitanum aſſumptis pariter duobus de ſuo Capitulo: Si verò erit inter Metropolitanum, ac Nobilem, ſeu Nobiles, tunc cauſa ſpectet ad Nuntium pro compoſitione de partium conſenſu facienda, aliâs via Juris terminanda, ut ſupra. Decernentes præſentes literas, validas, firmas, & efficaces exiſtere, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari: irritumq; & inane, quidquid ſecus ſuper his à quoquàm, quavis authoritate, ſcienter, vel ignoranter, contigerit, attentari. Non obſtantibus quibusvis Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quarumcunq; Eccleſiarum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Conſvetudinibus; Privilegiis quoq; Indultis & literis Apoſtolicis, in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, eorum tenores, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliâs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſq; contrariis quibuſcunque. Dat: Romæ apud S.

Mariam

Mariam Majorẽ, ſub Annulo Piſcatoris, die XXVII. 9bris, M.DC.XXXIV. Pontificatûs Noſtri Anno Duodecimo.

## D E C R E T U M.

### *Ne Religioſi bona ſtabilia emant.*

SAnctiſſimus D. Noſter URBANUS. Divinâ Providentiâ PP.VIII. ſalubri Regulariũ regimini piâ ſollicitudine intendens, ex legitimis cauſis animum ſuũ moventibus, ſub pœnis arbitrio Sanctitatis ſuæ reſervatis, mandat Præpoſito Generali Soc: Jeſu, Generali Ord: Præd: Gñrli Ord: Carmel: Gñrli Ord: Ciſterc: ut præcipiat, ac intra tres Menſes præcepiſſe doceat, omnibus & ſingulis Provincialibus, Rectoribus, & quibuscunq; aliis ſuperioribus, de Societ: per Regnũ Poloniæ, & M.D.Lithvaniæ, conſtitutis, ne ſub pœna ſuſpenſionis à Divinis, privationis omniũ Officiorũ quæ tunc obtinebunt, vociſq; activæ & paſſivæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa in perpetuum obtinenda, ipſo facto, abſq; alia declaratione, incurreñ: ac aliis arbitrio Sanctitatis ſuæ ferendis, bona ſtabilia emere, vel titulo permutationis acquirere audeant, vel præſumant, in dictis Regno, & Ducatu, niſi eodemmet Generali conſulto, & expreſſa illius obtenta licentiâ. Eundem verò Generalẽ ad hujuſmodi conceſſionem non devenire, niſi eodem Sanctiſſimo Romano Pontifice, vel Sacrâ Congregatione Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, priùs aſſentiente.

Ex eodemmet Originali, præſens copia, eſt per me Notarium publicum, ac Curiæ Caus: Illuſtriſs: ac Reverendiſs D. Nuntii Apoſtolici in Regno Poloniæ, diligenter exarata. In cujus fidem & teſtimonium, meâ propriâ manu ſubſcripſi, Sigilloq; ejusdem Illuſtriſſimi communivi. Dat: Varſaviæ, Die XXXI. Menſis Januarii M.DC.XXXVI.

*Ita eſt. Alexander Barnabæus, Not. Cauſ. m.p.*

*Litera Eminentissimi Cardinalis Barberini, in Causa eadem, ad illustrissimum D. Nuntium Apostolicum scripta.*

SAnctissimus D. Noster URBANUS, Divinâ Providentiâ Papa VIII. Salubri Regularium regimini piâ sollicitudine intendens, ex legitimis causis animum suum moventibus, sub pœnis arbitrio Sanctitatis Suæ reservatis, mandat Præposito Generali Soc Jesu, ut præcipiat, ac intra tres Menses præcepisse doceat, omnibus & singulis Provincialibus, Rectoribus, & quibuscunq; aliis Superioribus dicti Ordinis, per Regnum Poloniæ, & Magnum Ducatum Lithvaniæ constitutis; ne sub pœna suspensionis à Divinis, privationis omnium Officiorum quæ tunc obtinebunt, vocisq; activæ & passivæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda, ipso facto, absq; alia declaratione, incurrenda, ac aliis arbitrio Sanctitatis suæ ferendis bona stabilia emere, vel titulo permutationis acquirere audeant, vel præsumant in dictis Regno, & Ducatu, nisi eodemmet Generali consulto, & expressa illius obtentâ licentiâ. Eundem verò Generalem ad hujusmodi licentiam non devenire, nisi eodem Sanctissimo Romano Pontifice, vel Sacrâ Congregatione Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, priùs assentiente.

À latere earundem literarum scriptum.

*Generali Ordinis Prædicatorum.*
*Generali Ordinis Carmelitarum.*
*Generali Ordinis Cisterciensium.*

*Respon-*

*Reſponſum Sacræ Congregationis, in Cauſa tranſlationis Feſtorum tempore Meſsis.*

EPiſcopi Regni Poloniæ ſupplicârunt, pro licentia transferendi Feſta occurentia in Menſibus, Julii, Auguſti, & Septembris; exceptis tamen Viſitationis; & Aſſumptionis B. Virginis, necnon Feſtis Apoſtolorum, in dies Dominicos, Menſium Octobris & Novembris ob fruges omnis generis, tâm demetendas, & recolligendas, quam recollectas injuriæ temporis expoſitas, cùm operarii in illis partibus Feſtivis diebus ab operibus omninò abſtinere intendant. Et Sacra Rituum Congregatio reſpondit: Feſta nullo modo eſſe transferenda; poſſe autem concedi, ut imminente neceſſitate ob fruges recolligendas, ſeu recollectas, Epiſcopi diſpenſare poſſint quoad operarios, non obſtantibus diebus Feſtivis. Die XXI. Januarii, 1634.

*C. Epiſcopus Boronen: Card: Pius,*

Julius Roſpigliosius Secret

*De mandato Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Domini D. JOANNIS WEZYK, Dei & Apoſtolicæ Sedis Gratia Archiepiſcopi Gneſnenſis, Legati Nati, Regni Poloniæ Primatis, Primiq; Principis: Brevia & Decreta ſupraſcripta, ex ſuis Originalibus deſcripta, per me Notarium infraſcriptm, ſunt collationata, ac Sigillo ejusdem Illuſtriſſimi communita, in fidem & teſtimonium præmiſſorum.*

Ita eſt. Venceſlaus Ceynarowicz, J U.D, Sacra author: Apoſt: publicus, Actorumq; Curiæ ſupraſcripti Illuſtriſs: D. Archiep: Notarius. m. p.

1825a